

www.e-rara.ch

Divi Gregorii theologi, episcopi Nazianzeni opera, quae quidem extant, omnia, tam soluta quàm pedestriatione conscripta, partim quidam iam olim, partim verò nunc primum etiam è Graeco in Latinum ...

Gregorius

Basileae, 1550

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-120888>

Divi Gregorii Nazianzeni oratio consolatoria, quum pater eius episcopus ob grandinis taceret calamitatem: Bilibaldo Pircheimero interprete.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

erat id quod loquebatur, psalmodiaque egressionis uerba, aut si ueritatem dicere oportet, testimonium confidentiae, cum qua illa discedebat, & beatus quicumque post illa requiescit uerba: in pace in idipsum dicebat, dormiam & requiescam. haec a te cantabantur mulierum optima, & cum his discedebas, psalmodiaque iam erat adimpleta, & post peregrinationem honor sepulchralis. o quam bene tu a passionibus quieuisisti, & somni qui dilectis debetur compositus es facta, somnum sumens ad dormitionem communem, quemadmodum decebat uiuentem & abeuntem, in uerbis pietatis. Scio igitur meliora tibi esse, & longe honorabilia ea, quibus nunc frueris, quam uisibilia, somnia nempe, festiuitatem peragentium angelorum tripudium, ordinem celestium, contemplationem gloriae: ac inter caetera supernae trinitatis splendorem puriorem, & perfectiorem, non amplius mentem fugientem ligatam, & sensibus obfuscata, sed totam toti contemplationi cognitam, ac deprehensam, quemadmodum fulgore nostras praefringit animas, cum toto lumine deitatis: omnibusque frui te rebus, quibus carebas in terra, propter germanam erga illas inclinationem. Proinde si nostri sermones uel parumper tibi curae sunt, honorque talis sanctis a Deo habetur animabus, ut talia resciscant, Suscipe & tu sermonem nostrum, praefunebris multis, & ante multos, quem Caesario ante te, & tibi iam post illum tribuimus, pariter enim tam fratri quam sorori parauimus. utrum autem quispiam nos quoque post uos sit honoraturus, nequaquam dicere possum, tantummodo optamus, ut eo honore honoremur, qui in Deo est, & ut habitemus ac incolamus in Christo Iesu Domino nostro, cui sit gloria in secula, Amen.

DIVI GREGORII NAZIANZENI ORATIO CONSOLA

toria, quum pater eius Episcopus ob grandinis taceret calamitatem:

Bilibaldo Pircheimero interprete.



Utrum ordinem soluitis laudabilem? cur linguae seruiienti legi uim infertis? cur sermonem prouocatis subiectum spiritui? cur caput obmittitis, & ad pedes acceleratis? cur Aaron negligitis, & Eleazarum praepositis? non patior ut fons obturetur, ac torrens profluat: sol abscondatur, & astra splendeant: canicies cedat, ac iuuentus ferat leges: sapientia obticeat, & rerum inexper tus iuueniliter uerba faciat. imber enim rapidus, nequaquam placido est utilior. ille enim quum impetuose fertur, rura trahit, agricolamque lucro plectit capitali. hic uero leuiter effusus, & ad inferiora delapsus, terram fecunditate replet, arantemque a labore liberat, ac spicam ad fructum perducit maturum: ita & in sermonibus abundantior, nequaquam sapientiori est utilior: hic enim aliquantulum fortassis oblectans, euanesceat, pariterque cum aere percusso dissoluitur, nihil ultra hoc conferens, sed auditum auidum, facundia tanquam incantamento demulcet: qui uero in mentem penetrat, ac os dilatat, repletur spiritu, & generatione uidetur longior, multumque fructum in paucis producit syllabis: tamen nondum de uera ac primaria loquar philosophia, cuius admirandus agricola iste, & pastor primas fert partes. Proinde sapientia prima uita est laudabilis, Deoque expiata seu purgata, purissimo ac splendidissimo, qui solam puritatem sacrificij loco a nobis requirit, quam scriptura diuina cor contritum, & sacrificium laudis, nouamque in Christo creaturam, ac hominem nouum cum similibus uocare solet nominibus. Sapientia igitur prima est, sapientiam illam despiciere quae in sermone, ac uersutis uerborum, necnon captionibus & oppositionibus consistit. mihi hi autem quinque potius uerba in ecclesia cum prudentia loqui contingat, quam infinita in lingua & uoce tubae raucae, quae militem meum nequaquam ad spirituales excitat pugnam. eam enim ego sapientiam laudo & amplector, per quam ignobiles facti sunt gloriosi, & despecti honorem acquisierunt, ac cum qua piscatores orbem uniuersum, euangelij cepere retibus, dum sermone perfecto & succincto sapientia superarunt inanem. Siquidem non

is qui

is qui in uerbis sapit, mihi sapiēs erit: neq; is qui linguam habet uolubilem, animum uerò ineruditum, sepulchrorum instar, quæ extrinsecus sunt ornata & speciosa, intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt foetorem: sed ille qui pauca de uirtute loquitur, multa uerò ostendit operibus, fidemq; sermonis per uitæ roborat actionem. siquidem longè mihi præstabilior est formæ pulchritudo, quæ conspici potest, quàm quæ sermonis pingitur industria: necnon diuitiæ quæ manibus continentur, quàm quæ effinguntur somnio: ac sapientia quæ non sermonib; splendet, sed operibus collucet. intellectus enim bonus omnibus facientib; eam, scriptura inquit, & nō qui prædicant illam. huius autem sapientiæ certissimus iudex est tempus, & senectus gloriationis corona. si enim homo nequaquā ante obitum beatus est censendus, quemadmodū Salomoni & mihi quoq; uidetur, ac incertum quid paritura sit dies uentura, quum uita hæc nostra inferna multas habeat mutationes, ac corpus hoc humilitatis suscipere deq; agitur & uoluitur: quomodo is, qui multū iam uitæ inculpabiliter exegit, & quasi ad portū pelagi, uitæ communis peruenit, non etiam nauigationem habet securiorē, ac ideo beatiorē etiā? noli igitur pater linguā claudere, quæ multa locuta est bene. cuius fructus plurimi, innumeraq; iustitiæ germina, cuius quot sunt filij ac quales thesauri: eleua per gyrū oculos tuos, & uide, populus hic uniuersus quē in Christo per euangelium genuisti. noli nobis ultra bona, etiam si pauca sint, inuidere uerba, ne uenturę damnationis iam initium facias. loquere pauca, mihi uerò chara, ac plurima erunt. si non uelis sonora, attamen quæ clamore cognoscantur spiritali. per quem tacēte etiam Mose, Deus audiebat, & quid clamas ad me ait, quum percipientem tacitus & inuocaret. præpara mihi populum ouī tuæ, & postea etiam pastor: nunc uerò archipastor, me aliquāliter in arte instrue pastoralī. Populum autem hunc de præsentī philosophans plaga, persuadendo solare. de iusto Dei iudicio uerba facito: siue nos comprehendamus, seu ignoremus abyssum multam. quemadmodūque misericordia eius statera iuxta sanctum sit Esaia. bonum enim nequaquam absque iudicio est, licet ijs qui in uinea plus laborarunt, uisum fuerit inæquale, minimè cum æquo conuenire. sed & ira secundum modum peccatorum, poculum in manu Domini appellatur, & calix ruinæ ebibitus, etiam si omnibus auferatur aliquid de meritis, & iræ merum clementia temperetur. declinat enim à uehementia ad remissionem ijs qui timore sunt correpti, & qui ob paruam tribulationem resipiscunt, & parturiunt conuersionem, ac spiritum salutis generant perfectum. reseruat tamen obiter fecem, quod est iræ nouissimum, quo totum effundat in eos, qui ob bonitatem nō curantur, sed indurātur, secundū duriciem cordis Pharaonis, & operarium amarum, qui in exemplū Dei potentiam, contra impios thesaurizauit. Proinde refer unde plagæ tales & flagella, & quæ nam horum sit ratio. Nunquid commotio quædam uniuersi inordinata et inæqualis, ac impetus gubernaculi & rationis expers, ac si nullus esset rector, fortuitoq; hæc accidant, quemadmodū insipientibus uidetur, qui temerè ab inordinato & caliginoso feruntur spiritu: aut potius ratione quadam, & ordine, quemadmodum uniuersum hoc constitit sub initium, & præualuit, ac colligatum est, moueturq; decenter, sicut soli cognitum est mouenti, ita & circumuoluitur, & trāsmutatur, providentiæ frenis moderatum. unde igitur, dic, frugum est sterilitas: & uentorū impetus: necnon grandinis uiolentia, quæ nūc mea est calamitas & admonitio: unde aeris corruptio & morbi, motus quoq; terræ & maris inundatio: ac terrores ex cælo: & quomodo terra, quæ in usum hominum est creata, tanquam delictum commune, & æqualitas omnium in impurum trāsmutatur supplicium: ideo nempe, quod ob ea quibus sumus honorati, nec tamen fuimus grati, corripiamur, uirtutemq; cognoscamus ex ijs quæ patimur, postquam illa nequaquam agnouimus, quum fortunatè ageremus. Quomodo quibusdā peccata ex manu Domini dupliciter retribuuntur,

antur, mensuraque malitiæ, bifariam repleatur, per quam & populus refrenatus est Israeliticus. alijs uero dum septuplum rependitur in sinum, euacuat peccata. & quid? quod Amorreorum mensura nondum est ad impleta. Et quomodo peccator aut dimittitur, aut plectitur. rursus & huic quidem illuc peccata reseruantur, ille autem hic curatur. Et quomodo iustus cum aduersitatibus conflictatur, forsitan ut tentetur: uel prospere agit, ut conseruetur, etiam si pauper sit mente, & non admodum super ea quæ uidentur attollitur. nam sicut intellectus docet, unumquodque horum domesticum & minime falsum est iudicium. quæ igitur plaga hæc est, & unde? num uirtutis argumentum, aut malitiæ experimentum? uel satius est tanquam in supplicio positus inflecti? etiam si nequaquam ita serres habeat, & sub forti manu Dei humiliari, seu tanquam probatione attolli. Hæc nos doce, & de his admonere, ne nimis grauiter plagam hanc feramus, aut in malorum profundum incidentes, contemnamus. siquidem uitium hoc commune est multis. sed ut modeste nos erga admonitionem habeamus, ne maiorem accersamus, dum nos stolidè in hac geramus. Proinde admodum grauis est sterilitas terræ, frugumque uastatio, & cur non? quum iam spes exultaret, horreisque appropinquaret. uerè molesta est messis deformitas, & quod agricolæ ob labores tristantur inanes, segetibusque tanquam mortuis assident, quas imber lenis nutriuit, rapidus uero extirpauit. quibus nequaquam manum suam messor implebit, & sinum suum qui manipulos colligit. nec benedictionem assequuntur, quam prætereuntes optant uerè spaciolum miserandum, terra affecta est iniuria, ac detonsa, nec ornamentum habet solitum. ita beatus Iohel, seu quis alius tragicæ terræ calamitatem deplorat, & propheta alius, ornatui priori, nouissimam imponens sceditatem, ac de ira Domini, terram uastantis differens, ita ait: Quæ ante ipsum, paradysus est deliciarum: quæ uero post ipsum, campus uastationis. grauiæ sunt hæc, & admodum grauiæ, dum nos solum offendunt præsentia, & nondum molestioris plagæ tristitia sensum perturbat, perinde ac in ægritudinibus, ubi præsens afflictio, semper illa quæ nondum aduenit est molestior. cæterum his longè grauiora sunt ea, quæ in se Dei continent thesauri. sed absit, ut ea experiamur, nec experiemur, si ad Dei misericordiam confugiamus, & demulsiōem misericordiæ lachrymis attrahamus, & quod reliquum est iræ conuersione auertamus. siquidem mansuetudinis hæc sunt & clementiæ, diesque eruditionis, ac initia correptionis, quæ erudiunt infantiam. adhuc fumus iræ, calamitatum exordium, nondum autem ignis comburens, aut flamma motus suscitata uolentia, nec carbones accensi, flagelli nouissima. nunc enim minatur, aliquando arcum intendit, nonnunquam ui continet. quandoque etiam reducit, plaga pariter & minis instruens, uiamque iræ suæ ob immensam facit bonitatem. siquidem à minoribus incipit, ne indigeamus uehementioribus: erudiet autem maioribus, si coegerimus. noui frameam splendentem, ac ensē in cælo inebriatum, ac eousque orbare iussū, donec nec carni, nec medullæ, neque ossibus parcatur. scio impassibilem illum tanquam ursam rabientem, & sicut pardalim occurrentem per uiam Assyriorum non ijs solum qui tum erant, sed et si quis nunc malicia est Assyrius, nullus enim potentiam iræ eius & uelocitatem effugere ualet: quum cuius uigilauerit super iniquitates nostras, & inimicos eius persequitur zelus, qui deuorare nouit aduersarios. scio enim excussionē & intensionem, ac concussionē, cordisque conuassationem, necnō genuum dissolutionem, ac talia quæ impiorum sunt supplicia: ut interim obmittam iudicia, quæ illic sunt, ad quæ nos ea transmittunt, quæ hic nobis parcunt: ita ut satius nobis esset hic corripī & purgari, quæ futuris tradī tormentis, ubi tempus est pœnæ & nequaquæ emendationis. quæ admodum enim non est in morte qui memor sit Dei, uelut pulcherrimè diuino philosophatū est Dauide, ita non est in inferno morantibus confessio & correctio. hic enim Deus & uitā, & opera cōclusit, ibi uero gestorū est inquisitio.

quisitio. Quid igitur faciemus in die excussionis? qua me ex prophetis quidam perterret, siue ob iudiciū erga nos diuinū, siue illa quæ in mōtibus fient uel collibus, quemadmodū audiūmus, seu qualitercunq; uel de quibus illa sit futura quandoq;: quū confidebit, ac nobiscū disceptabit, peccataq; ante faciem nostrā cōstituet, amarulentos illos redargutores, ac ea quæ iniquē egimus, acceptis beneficijs opponet, & cogitationes cum cogitationibus, & opera cum operib. cōparabit, nec non imaginis dignitatē requireret, malicia fœdā & confusam: tandē eos ablegabit, à semetipsis inculpato et damnato, quū neq; dicere possint quod iniusta patiant. quod quidē ihs qui hic iniuste affligitur, quandoq; satis est ad dānationis consolationē. Ibi uerò quis erit aduocatus? quæ protectio? quæ excusatio cōficta? quæ persuasio artificiosa? quæ contra ueritatē excogitatio peruertet? ac sententiā inuertet iustam, quū omnib. omnia in statera expendent, & opera, & uerba, & cogitationes: malisq; opponētur meliora, quo id qd preponderat, uincat, et pro superante ferat sententia: post quā nulla erit appellatio, non iudex superior, aut excusatio per opera secundaria, non oleū uirginib. prudentibus, seu uendentibus, quū lampades deficiunt. non poenitentia diuitis, qui in flāma cruciabatur, & domesticis expetebat emendationem. non tempus mutandi in melius, sed unicum & nouissimū, & tremendū iudiciū, ac plus iustum q̃ terribile, seu potius ideò terribilius, quia iustū. quoniam throni ponent, & antiquis dierū sedebit, & libri aperient, & fluuius ignis fluet, & lux erit præsens, tenebręq; erunt paratæ: & qui bona egerunt, in resurrectionem uitę abibunt, quæ nūc in Christo est abscondita, & postea cum ipso manifestabitur. qui autem mala egerunt in resurrectionem iudicij, ad quā ihs, qui nunc de uerbo, quod ipsos est iudicaturum, non credunt, sunt condemnati: & hos quidem lux excipiet ineffabilis, necnō sanctę & regię trinitatis contēplatio, clarius resplendēs ac purius, & quæ tota menti cōmiscetur toti, quam ego & solū quidem, cœlorum regnū potissimum esse arbitror. alijs uerò inter calamitates alias, seu potius ante alias, uel maxima hæc erit, quod abijcientur à Deo, & pudore confundētur conscientię, qui finem nō habet, sed de his postea. nunc uerò quid faciemus fratres contriti & humiliati, necnon inebriati, non à uino aut siccra, quæ parumper commouent & obtenebrant, sed à plaga quā induxit Dominus, dicēs, Et tu cor cōmouearis et cōturberis: qui potauit contēptores spiritu tristitię & compunctionis, ad quos & dicitur: Videte cōtemptores, & inspicite, & admirabimini, ac disperdemini: quomodo increpationes eius tolerabimus? aut quam respōsionem dabimus? quum ad multitudinem beneficiorum propter quæ erubescimus deueniemus? quum castigationes nobis exprobrabit, ac medelā enumerabit, ex qua tamē nequaquam sumus curati. & filios quidem appellat, sed pollutos, dum ait, & filios quidem, sed alienos, & à semitis suis claudicantes, quoniam inuicę fuere & asperæ. quomodo & unde uos erudiri oportebat: remedia leuiora induxi, sanguinem Aegyptium obmisi, qui ex fontibus, fluminibus, & omni aquarum bibebatur congregatiōe plagam nempe primam: ranas uerò, & sciniphes, & muscas, necnon plagas reliquas intermisi, ac bobus, iumentis, & pecoribus plaga quinta inchoaui, animalia ratione carentia afflixi, hominibus uerò & ratione præditis peperci. nihil ad uos calamitas illa, sed facti mihi estis percussis etiam animalibus magis bruti & irracionales. abstuli quibusdam pluuias, at pars altera est rigata: pars uerò quam nō rigaui, exaruit, & dixistis, Viriliter sustinebimus. Induxi super uos grandinem, contraria plaga instruens, uineas uestras & arbusta deuastaui, prauitatem uerò uestram nequaquam contriui, cognosco quod durus sis, & neruus ferreus ceruix tua. hæc forsitan ad me dicet, qui nec plagis quidem admonetur, peruersus peruerse agit, & iniustus perpetrat iniustitiam. nil prodest admonitio superna, neq; flagella. deficit sufflatorium, consumptum est plumbum, quæ & uobis prius per Hieremiam exprobraui, in uanum argentarius operatur argentum.

prauitates

prauitates uestræ non sunt consumptæ. nequaquam me sustinetis iratum, dicit Dominus, aut nequit manus mea alias inferre plagas. sunt apud me ulcera exurētia, cinis à camino, quem Moyses sparsit in cœlum, aut si quis est alius similis ei minister commotionis diuinæ, ut Aegyptum plectat infirmitate. est & locusta, caligoq; palpabilis, necnon ultima in ordine plaga, sed labore ac uiolentiâ prima, interitus nempe primogenitorum, & perditio: quâ ut tanquam perniciem effugere ualeamus, bene est, ut mētis ungantur limina, contemplatione & operatione, sigillo magno & salutari, noui scilicet Testamenti sanguine, quo cum Christo cucifixi & commortui, consurgere quoque, & unâ glorificari ualeamus, nunc et in nouissima eius apparitione. ne concutiamur, nec conteramur, neq; lamentemur, quum nos obruit caligo in tenebrosa hac & mala uita, quæ perdit primogenita, & Deo dedicata uitæ nostræ germina & motus. Caterum nequaquam mihi accidat, ut inter plagas alias, hæc mihi ab optimo exprobetur Deo, ingruente contra me furore peruerso, propter meâ peruersitatem. percussi uos ictericia febre, ac infania, & nil profuit. exterius uos gladius filijs orbauit, et ne sic quidē ad me controuerſi estis, dicit Dominus. Proinde quum simus uinea dilecta, plantata & circumuallata, necnon maceria turri & cunctis alijs munita, quantum fieri potuit tutissime: nequaq; sterilis & spinifera fiamus, ac ita despicienda, quo turris subuertatur, et maceria diruatur, nec uinea ultra putetur, aut fodiatur. sed omnibus in direptionē, necnon iniuriā communem, ac conculcationē tradatur. & hic meus est timor ac sermo, taliterq; ego plaga hac perturbor, taliq; oratione oro, quā & prædictis addo. Peccauimus, iniquē egimus, impiē fecimus, quoniam obliti sumus mandatorum tuorum, & post cogitationes nostras malas ambulauimus. quoniam nequaq; nos secundum uocationis dignitatem, & euangelium Christi, necnon passionem eius sanctas, ac inanitionē pro nobis factam gessimus. Quoniā facti sumus opprobriū dilecto tuo. Sacerdos & populus pariter excessimus. omnes declinauimus, simul inutiles facti sumus, non est qui faciat iudiciū et iusticiā, non est usque ad unum. exclusimus misericordias, & clementiam tuam, uisceraq; misericordiæ Dei nostri, propter maliciā nostram & prauitatē studiorum nostrorū, in quib. deuiauimus. Tu bonus es, sed nos peruerſe egimus: tu longanimis, nos uerò plagis digni, bonitatem tuam cognoscimus, licet imprudentes. parum secundū peccata nostra correpti sumus. Tu terribilis es, & quis tibi resistet? tremor tuus mōtes cōprehendit, & magnitudinē brachij tui quis potest obuiare? si cœlū clauſeris, quis aperiet? & si cataraclas resolues, quis cōcludet? leue est in oculis tuis pauperē & diuitem facere, uiuificare & mortificare, percutere & sanare. sed et uelle tuum, opus est perfectū. Tu irasceris, & nos peccauimus, dicit quidam ueterū, tibi supplicās: nunc uerò tēpus est, ut cōtrarium dicam, Nos peccauimus, & tu irasceris. propterea facti sumus opprobriū uicinis nostris. auertisti faciem tuam, & repleti sumus ignominia. Verū cessa Domine, remitte Domine, placare Domine, ne tradas nos in finem propter iniquitates nostras, neq; per afflictiones nostras alios erudias: sed potius per aliorum calamitates nos refrena. & quorum nam? gentium quæ te non cognoscunt, & regnorum potentia tuæ non subiectorum. nos autem populus tuus Domine, & uirga hereditatis tuæ: quapropter nos erudias: ueruntamen in bonitate tua, & non in ira, ne nos minimos facias ultra omnes habitatores terræ. his ego uerbis misericordiam attraho. quod si holocaustis & sacrificijs iram expiare possem, neque illis parcerem. Proinde & uos quoque filij charissimi, timentem imitamini sacerdotem communem, ac pariter mecum diuinam tolerate monitionem, prouocate clementiam, possidete animas uestras in lachrymis, sedate iram, meliora facite studia uestra, sanctificate ieiunium, prædicate obsequium. hæc uos nobiscū beatus iubet Iohel, conuocate seniores, infantes, sugentes ubera, ætatem miserādam, & præcipue Dei clemētia dignam. Noui autem quid & mihi ministro Domini,

Domini, uobisq; ceteris, qui eodē honore se dignos putāt, sit praeceptum: nempe ut sacco induamur, plangamusq; die ac nocte, inter uestibulum & altare, miserandi habitu, miserabiliores uoce, flebiliter tam pro nobis ipsis, quam populo clamantes, ac nihil obmittentes, uel ex sermone, uel ex labore, per quod Deus placari posse creditur. Parce Domine, dicentes, populo tuo, & ne tradas hereditatem tuam in opprobrium. planeq; in precibus nostris tanto plus habeamus afflictionis, quantum & dignitatis, quo per ipsas populum ad compunctionem, necnon prauitatis emendationem, ac harū rerum sectatricem, Dei nempe longanimitatem, flagelliq; tolerantiam pro uocemus. uenite igitur fratres omnes, adoremus & procidamus, ploremusq; corā Domino qui nos fecit, communē peragamus planctū, secundū aetate ac genera diuisi. exaltemus uocem supplicationis, pro odio digno clamore, & hanc in aures Domini Sabaoth. praeueniamus iram eius in cōfessione. uelimus ipsum uidere, quemadmodum prius iratum, ita nunc placatum. quis scit, inquit, nunquid conuertatur & poeniteat, ac relinquat benedictionem. atqui manifestē hoc scio. Ego diuinæ clementiæ sum fideiussor: nam iram, quoniam præter naturam eius est, remittet: & ad misericordiam quæ secundum naturam eius est, conuertetur. ad illam enim à nobis cōpellitur, ad hanc uerò inclinatur. & si corripit compellentes, cur nō exaudiret inuocantes? ac natura sua uteretur in remittendo: solum nos misereamur nostri, ac iustis patris uisceribus uiam adaperiamus. seminemus in lachrymis, quo in exultatione metamus. fiamus Ninuiitæ, & non Sodomitæ: curemus prauitatē, ne prauitate consumamur. Audiamus Ionam prædicatē, ne igni & sulphure perfundemur. & si ex Sodoma fuerimus egressi, montes ascendamus, ad Segor fugiamus, cum oriēte sole ingrediamur, ne subsistamus in regione omni, nō circumspiciamus, ne in salis statum obduremur: statuam inquam immortalē, ac animę accusatricem, quā reuertitur ad peccata. Cognoscamus quod penitus, nil peccare supra hominis sit uires, ac Dei solius, ut interim de angelis quid dicere obmittam. uerū ne demus affectibus tempus, nec fores altercationibus referemus. Proinde quod incurabile est, malignæ & oppositæ existit naturæ, simul & ea quæ sub illa operantur. uerū ut peccantes se conuertant, hominum quidem est, sed mansuetorum, & qui sunt partis saluandæ. licet enim lutum hoc nostrū aliquid malitię attrahat, & habitaculū terrenum, mentem sursum ferentē, uel ut sursum feratur creatam, degrauet, imago tamen materiam expurgat, ac carnem adnexam rationis attollit penīs, ac subleuat. Sanē quāuis melius esset nequaquā tali indigere expurgatiōe, sed nec expurgari, dūmodo prima nobis salua maneret dignitas, ad quā ex presenti festinamus correptiōe, nec ut à ligno excideremus uitæ, amaro peccati gustu: melius tamen est, ut peccantes cōuertantur, q̄ ut iniquē agentes, haud corripiantur. quem enim diligit Dominus, corripit. increpatio enim est paterna, omnis autem anima inobediens est & malē curabilis. non igitur plaga percuti, graue est: sed ob plagam nequaquam refrenari, longē est grauissimum: quemadmodum ex prophetis quidam, de populo ait Israhelitico, duro, & corde incircumciso: Domine, flagellasti eos, & non doluerunt: corripuisti eos, & noluerunt suscipere disciplinam. ac iterum, Et populus nō est conuersus, donec percuteretur. & cur? quoniam populus meus auersus est, auersione mala, ob quam penitus conteretur & confringetur. Terribile igitur fratres est, incidere in manus Dei uiuentis. Terribilis & facies Domini super facientes mala, & funditus extinguens malitiam. Terribilis & auditus Dei, uocem Abelis percipiens propter sanguinem tacentem. Terribiles pedes prauitatem deprehendentes. Terribilis etiam uniuersi repletio, ita ut impossibile sit Dei effugere commotionē. & si quis in cœlum sublatus fuerit, seu in infernum descenderit, non si ad orientem usq; fugerit, non si in maris profundum aut terminum se absconderit: unde & ante me timet Naū propheta, in ijs quæ de captiuitate Ninīue publicat, dum Deum zelantem, &

Dominum cum ira aduersarios ulciscensem prædicat, immensa tum utentē
 seueritate, ut nec secundæ correptioni locus relinquatur. Sed & quū Esaiam
 populo Sodomorum, & principibus Gomorrae comminantem & dicentē
 audio, Cur adhuc percutimini, apponentes iniquitatē, paulo minus horro
 re repleor, & lachrymis suffundor. Nō est, inquit, quōd peccatis uestris addi
 possit, non potest additio plagæ inueniri, ita cuncta cōsummastis, & omnē
 plagæ speciem euacuastis, quum semper recentiorē peccatis uestris provo
 catis. nō est uulnus, neq; cicatrix, neq; plaga adurens, in toto corpore plaga
 est, sed et incurabilis. non enim est malagma superponere, neq; oleum, nec li
 gaturas. uerū reliquas obmitto cōminationes, ne presenti uobis plaga mo
 lestior fiam. ueruntamen cognoscere decet, mali huius causam, unde exarue
 runt agricolæ, confusa sunt horrea, pascua gregibus defecerūt, & speciosa ter
 re sunt diminuta, cāpiq; nequaquā repleti ubertate, sed mœrore. non reple
 tæ sunt conualles frumento, sed defecerunt. non stillauerunt montes dulce
 dinem sicut iusti, sed dedecore & fœditate sunt repleti, & Gelboe execratio
 nem ex cōtrarijs exceperunt: facta est sicut ab initio omnis terra, priusquā
 ornaretur pulchritudine sua. Visitasti terram, & inebriasti eam: sed uisitatio
 ne pessima, & inebriatione perniciosa. Heu quale spectaculum, in stipula, et
 in paucis reliquijs satio à nobis cognoscit. ac uix primitias Domino uer no
 strum fructificat, quæ à muribus potius quā manipulis sunt colligendæ.
 Tales sunt diuitiæ impiorum, tales & seges eorum, qui malè seminant. pro
 inde considera quid uetus dicat maledictio: expendet plura, pauca uerò col
 liget: seminabit, & non metet: plantabit, & non exprimet: ubi decē paria bo
 um operabuntur, amphoram facient unam. & apud alios abundantia au
 dient, ipsi uerò opprimēt penuria. Vnde hæc & quæ nā calamitatis est cau
 sa: non expectemus ut ab alijs arguamur, sed nosmetipsos scrutemur. ma
 gnum malitiæ remedium cōfessio & fuga est peccati. Ego primus quemad
 modum annūciaui populo meo antea, & speculatoris opus impleui, nequa
 quam enim superuenientem abscondi rompheam, quo propriam & audien
 tium saluarem animam: ita & nunc populi mei annuncio incredulitatem, il
 liusq; delicta mea facio, si fortè hoc pacto clementiæ aliquid & refrigerij cō
 sequi ualeam. Ex nobis igitur alius oppressit pauperē, & partem terræ sub
 traxit, ac terminos malè uel furtim, seu uolenter est transgressus, ac domum
 copulauit domui, ac agro agrum, quo aliquid uicino adimeret, et nullū quo
 cum contenderet haberet uicinum, tanquam solus possessurus esset terram.
 Alius autem usura & nimio habendi studio terram contaminauit, colligens
 ubi non seminauerat, et metens ubi non disperferat, nequaquam terram, sed
 indigentium excolens necessitatem. Alius autem in primitiis aræ & torcu
 laris persoluendis omnium largitorem Deum defraudauit, ac factus est in
 gratus pariter & stultus, quū neq; pro ijs quæ habebat, neq; pro ijs quæ spe
 rabat, gratias ageret, neq; aliter animi sui gratitudinem ostenderet. Alius ui
 duæ & pupilli non est misertus, neq; indigentibus panem aut cibum, uel te
 nuem distribuit, seu potius Christo, qui per eos, qui uel parumper reficiunt
 reficitur, licet tam multa ac præter spem etiam habeat. siquidem hoc iam ini
 quissimum est, quōd inter multa horrea angustia etiam premi uideatur. ac
 ideo hæc implet, alia uerò destruit, quo futuris ædificet maiora, ignorans
 quōd ante spem auferetur, ac rationem reddet abundantiae & imaginatio
 nis, malus aliorum bonorum factus dispensator. Alius autem uiam humiliū
 occlusit, ac iustum afflixit iniuste. Alius odio habuit reprehendentem in
 portis, & sermonem sanctum est execratus. Alius autem propriæ sacrificauit
 sagenæ, quæ multa comprehendit, & rapinam pauperis in domo sua ha
 buit, nequaquam Dei memor, seu malè memor, Benedictus, dicens, Domi
 nus, quoniam ditati sumus: et suspicatus est iniustitiā, tanquā à seipso hæc ha
 beret, q̄ puniret. propter hæc enim uenit ira Dei super filios inobediētiæ: pro
 pter hæc claudit cœlū, aut malè aperit, & longè magis id fiet, si percussi non
 fuerimus

fuerimus conuersi, & appropinquantī naturaliter appropinquemus. quid
 ad hæc dicemus, frumenti arctatores & institores? qui temporum obserua-
 mus difficultates, quo abundemus, ac calamitates alienas in delicijs habea-
 mus, possideamusq; , nō ut Ioseph Aegyptiorum substantiam, ad maiorem
 administrationem domesticam. ille enim bene rem curabat frumentariam,
 ac congregabat & distribuebat: sed nos tanquam transgressores proximorū
 nostrorum bona affectamus, qui dicimus, Quando præteribit mensis, & lu-
 crabimur? quando sabbata, & aperiemus thesauros? uos qui duplicibus
 mensuris & ponderibus, id quod iustum est corrumpitis, & iniustitiæ men-
 suram ad uosmetipsos attrahitis. Quid ad hæc dicetis, qui nullum possiden-
 di finem nostis? qui aurum & argentum adoratis, non secus ac Baal olim, &
 Astartem, necnon Chamos abominationem. qui uario gemmarum splen-
 dore, ac fluidis uestimentis uos ornatis, tinearum sumptu, ac latronum, &
 tyrannorum, necnon furum thesauris. Qui admodum obseruorum & equo-
 rum tumidi estis multitudinem. Qui in campis ac montibus uos diffunditis,
 ac quædam possidetis, alia uerò inuaditis, nōnulla autem speratis, instar Sa-
 lomonis sanguisugæ, quæ expleri nequit, sicut nec infernus, terra, ignis, &
 aqua: aliumq; orbem terrarum ad possidendum requiritis, ac Dei terminos
 inculpatis, tanquam concupiscentia uestra & insatiabilitate longè angustio-
 res. Quid autem ij qui in altis residēt thronis, ac potestatis scena elati, super-
 cilia etiam ultra theatrum attollunt, nequaquam Deum ac sublimitatem in-
 accessibilem in omnibus cogitantes, quo subditos tanquam conseruos iudi-
 cent, quum & ipsi pari indigeant clementia. Proinde & illos mihi conside-
 ra, qui delicate in eburneis dormiunt lectis, quos rectè diuinus mordet A-
 mos: & qui preciosis delibuti sunt unguentis, & ad uocem organorum ma-
 nibus plaudunt, ac rebus fluxis non secus ac stabilibus gaudent, & nequa-
 quam ea contritione qua Ioseph fratribus condolent, seu compatiuntur. O-
 portebat autem eos benignos esse ijs, qui priores in hanc calamitatem inci-
 dissent, & misericordiam misericordia assequi. Oportebat ululare pinum,
 quia cecidit cedrus. oportebat admoneri proximorum calamitate, & ob ma-
 la aliena rectè disponere domestica, quum in hoc iam clade affectos præcel-
 lerent, quod ipsi per illorum saluarentur ærumnas, & nequaquam alij eorū
 exemplo ad modestiam redigerentur. Hæc nobiscum sacrum ac diuinum
 philosophare caput, quoniam tempore longo multam etiam consequutus
 es experientiam, ex qua sapientia oritur. Talibus populum tuum instrue, e-
 surientibus panem confringere doce, inopes uagos colligere, nuditatē coo-
 perire, consanguineosq; minimè negligere, hoc præcipue tempore: siquidē
 Deus plus tali gaudet fructificatione, quàm multitudine collationum, aut
 magnitudine munerum. Præter hæc autem & antè hæc, Moses mihi hodie
 aut Phinees fias, pro nobis consiste, & Deum placato. sedetur calamitas, seu
 per sacrificium spirituale, siue per orationes & colloquia rationabilia. Inter-
 cessione tua Domini iram compesce, plagæ siste sequelam, patris nouit ue-
 nerari caniciem, pro filijs legatione fungentem: de præteritis supplica malis,
 pro futuris sponde. Offer populum, plaga & timore purgatum, petito eis ci-
 bum corporalem, sed antè illum angelicum, e coelo descendentem. id si fece-
 ris, Deum reconciliabis, cœlum mitigabis, pluuiam reddes temporaneam
 & opportunam. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra fructum suū
 producet, ea quæ deorsum est, quotidianum, homo uerò noster æuiternum,
 quum torculari diuino fuerit expressus, ac per te cum operibus nostris
 adductus, in Christo Iesu Domino nostro, cui sit gloria
 in secula, Amen.